

DE JURE DIVINO  
ET NATURALI  
CIRCA USURAM  
LIBRI SEX

In quibus adversus Hæreticos usurarum patronos,  
cum recentes, tum antiquiores, catholicum  
præsertim dogma fuscè defenditur.

*Premittitur præfatio cum historia de origine, auctoribus,  
& varietate hæresis impugnandæ, unde contra  
istam magnum vel ex novitate  
præjudicium exsurget.*

TOMUS PRIMUS.



BONONIÆ MDCCLVII.

---

Apud Thomam Colli ex Typographia S. Thomæ Aquinatis.  
*Superiorum permissu.*

# Typographus Lectori.

iii



*I* forte miraris, Amice Lector, Opus hoc a præstantissimo Viro Petro Ballarino Veronensi Presbytero jam usque cæptum anno 1743., perfectumque proximo incunte 1744., tam sero editum; summamque optimorum hominum expectationem, quibus liber iste avidissime expetebatur, diutius, quam par erat, dilatam; Scito, id minime de industria factum, sed casu, & fato nescio quo, accidisse ut tardam lucem aspexerit. Cum enim Opus suum misisset Auctor ad Eminentissimum Cardinalem Lucinum, Romana Inquisitionis tunc temporis Generalem Commissarium, a quo etiam atque etiam ut illud omnino aggrederetur hortatus fuerat, & sæpe item incitatus, ut, ceteris quoque sepositis curis, quam citissime persiceret: cumque ipsius Præsulis jussu liber adhuc esset sub censura Theologorum, ut denique typis mandaretur; accidit forte sub initium anni 1745., quod egregius Cardinalis vita cessit, ejusque morte consilia cuncta de edendo in Urbe libro dissoluta sunt. Nonnulli vero de litteraria Republica optime meriti, quibus tam utiles Auctoris labores latere iniquum videbatur, ab Heredibus Cardinalis Lucinii li-  
brum



# PRÆFATIO.

## §. I.

*Argumentum, & necessitas hujus tractatus, ac ejusdem occasio.*

1.



Sicuti nullum dogma gravius, & majoris momenti habetur, quam quod non minus integritati fidei, quam sanctitati morum sartæ tectæ servandæ necessarium est; ita nullus error perniciosior, & detestabilior, quam qui, integritate fidei læsa, morum etiam sanctitatem corrumpit, ac destruit. Hinc si erroribus, qui solam fidem commaculant, naviter resistendum est; multo sollicitius conitari debemus adversus illos, qui non unius fidei, sed morum etiam doctrinam contaminant: tantoque magis elaborandum in his est, quanto facilius, & latius erroris corruptio serpere, & corrumpere potest. Cum vero in usurarum materia, cujus praxis frequentissima est, errores aliquot eruperint, qui ipsum dogma catholicum directe aggrediuntur, iisque nullus faciliores, ac profundiores radices agere possit; hoc nostrum opus, quo illos impugnare operosius studuimus, maxime utile, ac necessarium videbitur. Non ergo hic agitur de controversis inter catholicos contractibus, utrum usurarii sint, nec ne; neque de titulis, num usuram pallio tegant, an purgent. Ipsum catholicum, seu (ut in Bulla Leon. X. sess. 10. Lateranensis V. appellatur) *Christianum* de usuris dogma in controversiam adducitur a non-



DE JURE DIVINO, AC NATURALI  
CIRCA USURAM  
LIBRI SEX.

LIBER PRIMUS.

*De mutuo, unde usura nascitur.*



**U**T disputationi de usura, quam ex proposito tractandam hoc in opere suscepimus, disputationem præmitteremus de mutuo, duplex causa permovit. Prima, quod sine intellectu mutui intelligi non facile possit natura usuræ, quæ ex mutuo nascitur: altera, quod in ipsa mutui materia errores nonnulli, partim vulgò obtinentes, partim a patronis usurarum excitati, convellendi sunt, qui si intacti relinquerentur, quæcumque deinceps disputaturi sumus, nihil proficerent.

C A P. I.

*Mutui natura exponitur.*

**D**Uæ apud Romanos vulgatiore mutui, ut in præsentiarum accipitur, definitiones, seu descriptiones inveniuntur, quæ tamen imperfectæ valde sunt, nec satis accuratæ. *Si datur, quod redatur, mutuum est,* inquit Varro

Definitiones  
mutui non  
accuratæ.

Tom. I.

de Lingua Latina lib. 4. At non mutuo solum, sed commodato etiam, atque deposito id convenit. Tritum est pariter illud, quo mutuum in iis rebus consistere dicitur, quæ pondere, numero, mensura constant &c. uti scribitur Leg. 2. D. de rebus creditis, & lib. 3. Institutionum tit. 25. At nonne pondere, numero, vel etiam mensura constant, quæ non consumuntur usu, & in mutuum cadere nequeunt? Accuratius itaque mutuum defini potest: *Traditio rei usu consumptibilis, in consumptionis usum, ea conditione, ut post aliquod tempus tantumdem restituatur.* Explicemus singula.

Vera definitio.

1. Primo res, in quas mutuum cadit, usu consumptibiles esse debent. Nam etsi mutui, sicut & commodati, verus appellatio ab antiquis promiscue usurpata invenitur de traditione tum eorum, quæ ipso usu consumuntur, tum eorum, quæ non consumuntur, dum ita tradantur, ut post aliquod tempus restituenda sint; propriè tamen commodati nomine illis re-

△

bus